

16



MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
A NEURISMATE ET
GANGRÆNA.
LABORANTIUM.

QVA M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI,

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ
Professoris Ordinarii, ac Philosophi
eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

SAMUEL ENYEDINUS, Ungarus-Transylvanus.

Ad diem 18. Iunii, horâ 9. matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS *Gisberti à Zjll, & Theodori ab Ackersdijck,*

cl o l o c l i.



Circumspecto ac prudentissimo viro,

D. JOHANNI KANTOR,
Civitatis Enyedinenfis Senatori, & p. t.
publicæ dispensationis Curatori fidelissi-
mo, vitrico suo semper honorando.

Generoso ac Nobilissimo Domino

FRANCISCO ENYEDI,
Civitatis Patachiensis Civi venerando,
Fratri suo Germano, omni amore co-
lendo.

Reverendo ac Clarissimo viro,

D. JOHANNI SZOLOS,
Pastori Ecclesiæ arcis Varadiensis vigilan-
tissimo, quondam præceptori suo gratif-
simo.

Medicum hoc exercitium

Dicat & Offert

SAMUEL ENYEDINUS.

MEDICATIO JUVENIS
ANEURISMATE
LABORANTIS.

I.

IUvenis viginti octo annorum, in diversorio aleâ ludens, in litem cum antagonista incidit; qua ad manus veniente, cultro supra flexuram cubiti, in interiore sinistri humeri parte, punctim vulneratus est. Mox ex vulnere magno impetu profiliit sanguis, qui à chirurgis non nisi maxima cum difficultate potuit sisti. Vulnere ad cicatricem pene deducto, apparuit circa locum affectum tumor valde pulsans, & quotidie magis magisque crescens, qui digitis pressus imminuebatur; cessante vero pressione, ad priorem extuberantiam redibat. Hunc dum chirurgi fasciis injectis & arcte constrictis compescere & consolidare conantur, cicatrix fuit disrupta, & sanguis copiosissimus ex renovato vulnere, maximo cum impetu, mox profiliit. Chirurgi advocati sanguinis eruptionem, remediis stipticis cum filamentis lintei carpti adhibitis, tandem quidem stiterunt: Verum ob metum novæ hæmorrhagiæ, remedia imposita, quæ ad renovandam vulneris obligationem sunt auferenda, auferre non audent. Sanguis à linteis impositis imbibitus, ex putredine, jam gravissimum fœtorem contraxit, quo eorum amotionem, rectamque ulteriorem medelam, æger desiderat.

II.

Pars affecta est pars humeri sinistri supra cubitum, ibi, præter cutim, secundum arteriam vulnerata; ut ex vehementi illa hæmorrhagia, quæ adeo difficulter potuit sufflaminari, item ex tumore pulsante, qui vulneris curationi supervenit, est manifestum.

K 2

III. Morbus



III.

Morbis, quo hic æger laborat, est arteriæ sinistri humeri vulnus, quod sanguinem arteriosum sub cute vulnerata intra vicinas partes cum pulsu vehementi effundens, easque in tumorem pulsantem attollens, sanguinemque ex vulnerata vicina cute emittens, *aneurisma vulneratum* est appellandum.

IV.

Causa prima hujus morbi fuit ictus cultro, arteriæ sinistri brachii punctim illatus: qui ex eo fuit manifestus, quòd sanguis mox ab ictus illatione tanto impetu ex vulnere exsiliit, & non nisi maxima cum difficultate sufflaminari potuit.

Altera ejus causa fuit consolidatio cutis, sine recta arteriæ vulneratæ consolidatione facta. Hinc enim factum est, ut arteria illa læsa, & rursus disrupta, sub tempus, quo cicatrix cuti fuit inducta, sanguinem intra cutim & carnes vicinas magno cum impetu emisit, easque in tumorem pulsantem, quem aneurisma appellamus, extulerit: isque paulatim ab impulsio sanguine, partes vicinas paulatim magis magisque descendente, incrementum sumsit. *Tertia hujus morbi causa* fuit fortis illa aneurismatis pressio, à chirurgis, ope fasciarum arctissime constrictarum, facta. Hac enim sanguis arteriosus in cavitate tumoris magna vi à corde pulsus, & pressioni fasciarum injectarum resistens, disruptit cutis cicatricem, vulnusque aneurismati addens, seq; vehementius & copiosius ex eo effundens, *quartam* huic morbo dedit causam. V.

Causa autem, quod sanguis ex arteria egressus in cavitate illum continente non fuerit coagulatus, sed fluidus manserit, partesque vicinas vibrare potuerit, hæc fuit; quod sanguis ille spirituosus, ob viciniam cordis magno illo impetu ex arteriæ vulnere egrediens, poros vicinarum carniū partim arctaverit, partim viscidioribus suis partibus obduxerit & obstruxerit, & ita spiritus, sanguini fluiditatem & vibrationem concilians, retinuerit.

VI.

Neque his adversatur ecchymoma, in quo sanguis ex vena rupta

rupta effusus intra vicinas carnes coagulatur & putrescit. Nam sanguis venosus, quia minore impetu & paucioribus spiritibus, ex longo à corde itinere, est præditus, ex vena rupta lente egreditur, atque ideo poros partium vicinarum laxat, & per eos, paucos, quos habet, spiritus disiciit & perdit; ipse vero in iis hærens, ob paucitatem spirituum, necessario coagulationem ac deinde putredinem patitur. VII.

Morbus hic valde periculosus est. si enim remedia imposita relinquuntur, metus est ne ex putredine gangræna oriatur: si ea amoveantur, metus est ne, ex secutura hæmorrhagia, æger mox inter chirurgorum manus expiret.

VIII. Prudenti itaque chirurgia hic opus est; quæ ita institui debet: primo supra aneurisma brachio sinistro denudato injiciatur fascia linea vel lanea satis lata, eaque ita arcte adstringatur, ut nullus pulsus circa carpum percipiatur. Eo facto, amoveantur omnia, quæ aneurismati vulnerato adhibita fuerunt. Ac deinde, quia ob adstrictam eo modo arteriam nullus sanguis ex vulnere egredietur, in tantum ampliatur acutissimo scalpello vulnusculum aneurismatis, ita ut tota ejus cavitas, & arteria eâ contenta, conspici possint, cavitasque ab omni contento sanguine emundetur. Si tum arteriæ vulnusculum oculis non percipiatur, laxanda non nihil erit fascia brachio injecta, quo sanguis ex arteria egrediens vulnusculum ejus clare indicabit; eaque deinde rursus, ad arteriam claudendam, fortiter erit adstringenda. Ac postea acus curva, filum satis forte & duplicatum trahens, sub arteria, supra ejus vulnusculum, erit transmittenda, filumque sub ea subducendum; filii capita deinde in nodum, arteriam arctissime ligantem, erunt iterum atque iterum constringenda. Quibus peractis, arteria ligata, paulo infra vulnusculum ejus, erit resecanda, cavitasque, intra cutim & carnes vicinas facta, & cuticulâ quasi vestita, erit detergentibus emundanda; & deinde carne remediis sarcoticis replenda. Relinquenda autem capita filii in nodum constricta in vulnere tam diu, donec sponte excidant. Ubi exciderint, extremitas resectæ arteriæ carne recens generatâ erit clausa, ita ut nullus profundendi sanguinis sit futurus metus.

K 3

Si



Si vero, nodo ab arteria decedente, sanguinis ex ea nova fiat profusio, arteria cauterio actuali erit exurenda, & si ultius illa sistendo sanguini non sufficiat, brachium supra arteriæ resectæ extremitatem erit refecandum, eo modo, quo in sphacelo fieri solet, reliquaque curatio simili modo, ut in sphaceli extirpatione fieri consuevit, erit peragenda.

M E D I C A T I O V I R I
G A N G R Æ N A
A F F E C T I.

I.



Vir 40. annorum, robustus, post cœnam, bene potus, mediâ hyeme, in stabulo, cujus fenestræ erant apertæ, se ad dormidendum composuit. A somno surgens pedes vix poterat movere, in iisque exiguus erat sensus, ac color in iis apparebat lividus.

II.

Partes affectæ in hoc ægro sunt pedes; quod eorum stupor, movendi difficultas, & livor probant.

III.

Morbis, quo laborat, est intemperies frigida & putrida pedum, quæ sensus stuporem & movendi difficultatem ac livorem, ex caloris nativi extinctione inchoatâ, inducens, & ad vicina facile prorepens, *gangræna* appellari solet.

IV.

Causa hujus morbi *externa* est aëris frigus, in quo æger noctu, corpore non satis adversus aërem frigidiorum munito, dormivit. Frigoris enim vehementiâ calor natus in pedibus valde fuit extinctus; quo fibrillæ nervorum, pedibus insertorum,

rum,

rum, ita fuerunt vitiatae, ut motum pedibus impressum ad cerebrum, sensationis excitandae causa, satis valide transmittere nequeant; partesque insensibiles cutis & vicinarum partium, propter ingentem putredinem, ex frigore illo inductam, ita fuerunt corruptae, ut pedes jam liveant & stupeant.

V.

Morbis hic est periculosissimus: cum sit magnus à naturali statu recessus, & magna adsint symptomata: malumque hoc valde prorepere, & brevi in sphacelum converti solet.

VI.

Celerrima itaque & prudentissima *Curatione* mox erit aggradiendus; eaque in corruptelae partium ablatione, & intemperiei correctione, & denique in partium, quae aperientur, consolidatione consistet.

VII.

Statim itaque pedibus applicetur tale emplastrum, calefaciens & corruptelam sistens:

Rz. rad. raphani hortensis.

rapian. No. j.

centundantur in mortario, addendo sem.

synapios ℥ j.

pulv. cariophyllor. ℥iij.

Ol. sem. lini, jugland. veteris an. q. s.

M. & F. emplastrum, calide applicandum pedibus per unum diem, egerque in calido loco decumbat.

Si contingat malum ad internas partes extendi, ilico scarificationes satis profundae usque ad vivam carnem sunt adhibendae, ita ut sanguis egrediatur.

Deinde partes laventur aqua falsâ, in qua aegyptiacum est dissolutum: lotio sit valde calida.

Postea adhibeatur tale unguentum, quod praestantissimum est ad omnem putredinem & ulceris malignitatem sistendam & tollendam:

Rz. floris aris, aluminis rochae, mellis com, an. ℥iij.

aceti

aceti acerrini ℥v. salis com. ℥j.
vitrioli rom. ℥β. sublimati pulveris. ℥ij.
Bulliant & F. unguentum.

Si ita putredo superetur, escara separanda est appposito em-
plastro ex quinque farinis.

VIII.

Quod si neque per hæc sistatur corruptela, igne utendum.
Eoque nihil etiam proficiente, pedes erunt excindendi: ex
Parei sententia in carne viva; ex fallopii in parte mortua, in
confinio vivæ: quæ deinde post sectionem cauteriis actuali-
bus adurenda, donec æger calorem cauteriorum sentiat.

IX.

Fallopii curatio, nec magnam hæmorrhagiam, nec ma-
gnum dolorem inferens, Paræanæ præferenda videtur.

Corollaria Respondentis.

1. **C**alor natus potest reparari: isque influens & insirus est reapse unus idemque.
2. Calor natus, elementaris, & cælestis, naturâ suâ non differunt.
3. Partes corporis ratione ortus sunt spermaticæ, ratione augmenti sanguineæ.
4. Foetus rudimentum fit ex germine seminis muliebris, accedente spirituosiore seminis virilis parte. Eaque est corpus.
5. In nervis musculorum sunt valvula & pori statuendi ad motum arbitrium & spontaneum rectè explicandum.
6. Sensatio fit in solo sensorio communi, in cerebro existente.
7. Dolor fit à motu vehementiore organa tactoria ledente, & rarissime solutionem continui inferente.
8. In dolore non est sensatio depravata.
9. Tumores originem ducunt à dilatatione pororum.
10. In ructu & similibus expulsionibus spirituum animalium influxus, ad expulsionem faciendam, requiritur.
11. Oritur calculus in renibus & vesica etiam à crassa, & faculenta materiâ à calore nimio exsiccata.
12. Incantationes sterilitatem per se non inducunt.
13. Epilepsia à vehementi & maligna spirituum animalium effervescentiâ originem ducit.

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



Sl





bebitur, humores illapsi in pus con-
ros insensibiles cutis foras expelletur.

XI.

in usus ad finem usque: in nonnullis ta-
dis circa finem curationis adhibeantur
ut unguentum de cerussa, de minio

XII.

frigerans: abstineat à vino: utatur cere-
hordei, in quo agrimonia & veronica

44

178

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
A NEURISMATE ET
G A N G R Æ N A.
LABORANTIUM,
Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI,
D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ

Professoris Ordinarii, ac Philosophi
eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

SAMUEL ENYEDINUS, Ungarus-Transylvanus.

Ad diem 18. Iunii, horâ 9. matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS *Gisberti à Zijll, & Theodori ab Ackersdyck,*

MDCCCLII.